



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 44. Duæ naves a Neapolis Rege Rhodum missæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV. quam Petri Albufsonii magni Magistri
 A.C. 1480. prudentiæ atque fortitudini.

§. XLIV.

*Duæ naves a Neapolis Rege Rhodum
 missæ.*

Cum interea Turcæ omnes belli machinas, cunctaque impedimenta ad naves suas deducerent, duæ prægrandes triremes a Ferdinando Neapolis Rege submissæ ad hanc Insulam in opem Rhodiorum accurrebant. Vezirius, cum eas ob ventorum injuriam cum suis navibus aggredi non posset, illas tormentis necdum ad naves deportatis ex litore verberari jussit. Nihilominus altera earum secundis velis portum ingressa est, altera vero ventis & fluctibus improbe jactata altum repetebat, & postera die infidelium classi admodum vicina visibatur. Re comperta Vezirius eam occupaturus viginti triremes emittit, earumque Præfectum

Nec tamen solus Chalcondyles hanc rem testatam reliquit, sed etiam Guilielmus Cohorsinus Ordinis Vicecancellarius, auctor coævus, & tum Rhodi præsens, in suo de ipsa hac occasione commentario, eadem recenset, & ipse Albufsonius in suis ad Fridericum literis die 13. Septembris datis de hac victoria differens ait: misisse Deum de coelo auxilium.

fectum ad rem strenue gerendam precibus & iussis concitat.

Sæculi. XV.
A. C 1480.

§. XLV.

Turcicæ classis Fuga.

Jamjam cruentum utrinque certamen in tertiam ferme horam effluebat; tandem vero Turcæ cedere ac Præfecti triumvirum morte conterriti Neapolitanam navem dimittere cogebantur. Igitur die decima nona Mensis Augusti Ottomana classis relicta statione sua ad portum Fiscum appulsa est, ubi Turcis in terram expositis, Constantinopolim contendit.

§. XLVI.

Ecclesia a Magno Magistro in grati animi memoriam extructa.

Magnus Rhodiorum Magister, vix ab inflictis vulneribus sanatus, voti religione se adstrinxit, se magnificam Ecclesiam sub invocatione Beatæ Virginis Mariæ de Victoria extructurum, huicque sacro, magnoque operi reparatis Rhodi munimentis mox dedit initium: cum autem hæc Victoria eodem, quo Græci festivitatem S. Pantaleonis agunt, die reportata fuisset, Petrus Aluffonius Magnus Magister præcepit, huic quoque Sancto Martyri sacrum procul ab Ecclesia sacellum longe nobilissimum erigi, ibidemque